



**E**ckardus fuit uir in diuinis scripturis eruditissimus, in alijs uero liberalibus studijs & disciplinis, nulli inter Germanos (ut Tritemius inquit) inferior. Itaque primus abbas monasterij S. Laurentij quod Vragia dicitur, in dioecesi Herbipolensi & Hercinia sylua ordinis S. Benedicti electus fuit. Erat is metro & prosa excellens. Propterea factum ut non spernendae lectionis opuscula composuerit, quibus ingenij sui uiuacitatem declarauit. Inter alia ad imitationem Boetii insigne opus conscripsit, ad instructionem & consolationem Monachorum & omnium fidelium Deum timentium, quod Laternam Monachorum inscrisit, & libris quinque distinxit. Tandem uero cum optimè suo monasterio præfuisset, sub initium imperij Conradi tertij, anno Domini millesimo centesimo quadragesimo primo mortuus, atque in medio ecclesiæ prædictæ sepultus est. Tritemius.